



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

227. An si Sacerdos loco illorum verborum, Hoc est Corpus meum, dicat,
Hic est Corpus meum, validè consecraret? Et de aliis multis mutationibus
verborum consecrationis agitur. Ex p. 5. tr. 14. & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](#)

ANTU
Opere
Tom. I
E III

ramen est falsum. Ceterum hoc non credo verum; nam falsum est pronomen *hoc* demonstrare substantiam panis, sed demonstrat hocens, quod est corpus Christi in ultimo instanti prolationis verborum, atque adeo idem est sensus, dicendo, *Hoc est corpus meum, & meum corpus est hoc.* Ita Pitigianus, qui pro hac sententia citat se ipsum *infra in art. 9.*

3. Verum circa praesentem questionem Gamacheus insignis Theologus inclyte Sorbonae Parisiensis in 3. part. D.Thom. quest. 78. cap. 2. verb. iam quod p[ro]fessat, sic philosophatur. Quod attinet ad transpositionem verborum, censimus valere adhuc consecrationem, si Sacerdos diceret, *Hoc corpus meum est*, duummodo poneret virgulam statim post pronomen *hoc*, & simul coniungaret tres alias voces, quia esset tunc idem sensus, ac si nihil transponeret, & pronomen *hoc* retineret vagam & indeterminatam significationem, ut posset vtrumque conversionis terminum demonstrare a quo, & ad quem, non enim pronomen tunc sumeretur possessione, sed propriè substantialiter, quatenus denotaret veritatem Dominici corporis. Idem iudicium si diceret, *est hoc corpus meum*, modò nou diceret interrogatiu[m], sed ab solute enunciatiu[m] nec pronomen adiectiu[m] sumeretur, ut quadraret cum substantiu[m] *corpus*, sed substantiu[m] ab solute per se ad denotandam praesentiam corporis Christi. Et diametro verò invalida est form[ula] dicendo, *meum est hoc corpus*, propter oppositas rationes, quia pronomen demonstrativum cum sumeretur adiectiu[m], non substantiu[m], sumeretur etiam possessione, & ad denotandam possessionem, vel dominium, ac si simpliciter diceretur, *Hic panis ad me pertinet. Hic panis est meus*, non autem demonstraret reali[er] praesentiam corporis Domini, & certè in ista loquendi formula pronomen demonstrativum indicaret præcisè solum panem, non ipsum Christi corpus, indicaret solum terminum a quo, non terminum ad quem, ut onnes facile vident, sicut non exprimeret conversionis substantialis mysterium, sicut h[ab]e[n]t necesse est. Huc usque doctus Gamacheus.

Sup. hoc sup[er]lain Refol. 222. & in principio Refol. 223. & in fine §. Dixi. Refol. 224. & in tom. I. tr. 1. Ref. §. 1. & in Refol. 17. §. ultim. in principio.

4. Notandum est etiam hic obiter contra Fagundez pr. 3. lib. 2. cap. 6. num. 17. & Ludouicum de San Iuan de Sacram. Eucharist. quest. 2. art. 2. diff. 2. non esse peccatum mortale detinere ex forma consecrationis particulam, enim, dummodo non efficaciter ex contemptu. Vide me ipsum in 1. part. tral. 3. M[is]cell. refol. 14. cum Granado & Præposito ubi supra, quia haec particula non est essentialis, & defecuit tantum ad connexionem verborum; sed utrum si omiseretur aliqua ex particulis essentialibus, in quo casu notat Hurtadus de Sacram. disput. 3. de Eucharist. difficult. 7. non solum adesse peccatum mortale contra præceptum Ecclesiæ in materia Religionis, sed etiam contra præceptum naturale in eadem materia Religionis, quia facit irritam formam consecrationis. Immò credit tunc esse duplex peccatum mortale contra virtutem Religionis, alterum commissionis contra præceptum naturale, quod equaliter est negatum, quia omissione particulae essentialis sit positiva irreuerentia Sacramento Eucharistiae, quia ea omissione irritatur alterum omissionis contra præceptum Ecclesiæ, quod formaliter, & equaliter est affirmatum, quia contra ipsum omittitur res præcepta, non attenta positiva aliqua irreuerentia in Sacramentum.

* * *

RESOL. CCXXVI.

An si Sacerdos loco verborum consecrationis Hoc est corpus meum, diceret, Hoc est enim caro mea, conficeret Sacramentum? Ex part. 5. tr. 14. & M[is]cell. 2. Refol. 76.

§. 1. **D**ubium est curiosum, & ad illud negotium responder Mercerus de Sacram. quod 78. art. 2. Pitigianus in 4. sent. tom. 1. diff. 8. quest. 1. art. 1. Coninck de Sacram. quest. 78. art. 2. dab. 3. num. 3. & Præpositus in 3. part. D.Thom. quest. 78. art. 2. dab. 2. num. 21. quia vox caro ex sua significacione, & via communis non aqua ualeat voci, corpus, cum corporis dicat aliquid constans carne, offibus, nervis, &c. quod confirmatur, nam in hoc Sacramento ex i[n] verborum non ponitur sola caro, sed etiam iam re-lata, ergo vox caro non adaequat significacionis vox corporis, & eius, in quod panis converteret, & proinde non potest loco vocis corpus validè substitui. Vide in hanc opinionem inclinat Suarez in 3. part. 1. diff. 59. scilicet 3.

2. At his non obstantibus non defant prestanti simi Theologi affirmatiū sententiam docentes, ita Estius in 4. sententia diff. 8. §. 1. verb. Pars. 1. de la Cruz in Direct. p. 2. de Euchar. quest. 2. dab. 2. cont. 1. Henriquez lib. 8. cap. 16. num. 2. in glossa. Jacobus Granado in 3. part. de Sacrament. contr. 6. nata. 3. disput. 5. num. 5. quia Joannis 6. dum Dominus promitteret institutionem Eucharistie, non sicut ruit nomine carnis, Caro mea vere est ibi. Quia inducat meam carnem, &c. Vnde sanctus Cyriacus, seu Auctor serm. in Cana Domini, ait Chishum consecrasse, dicendo, Hoc est caro mea. Deinde videntia phrasis est nomine carnis intelligere corpus humanum, immò & ipsum hominem. Omnis caro ruperat viam suam. Videbit omnis caro sahant. De Verbo caro factum est. In hymno etiam canit Ecclesia, Verbum caro panem verum, Verbo carnis fecit. & frequenter inuenitur apud Patres Chishum Dominum dedisse nobis in hoc Sacramento carnem, & sanguinem, ergo qui nomine carnis videntur, nihil substantialiter mutaret, ac proinde consecraret Sacramentum. Negandum est igitur auctoribus contraria sententia, quod caro non significet idem, quod corpus, quia caro etiam includit ossa, & partes heterogeneas, nam, vt dictum est, & corpus dicitur caro, & homo caro, & caro distinguuntur etiam contra sanguinem seorsim consecratum, sicut distinguuntur corporis. Et ita hanc posteriorem sententiam preter Doctores citatos tener etiam Fagundez pr. 1. lib. 1. cap. 6. num. 19. Vnde existimo vitramque sententiam probabilem esse, sed multi affirmativa magis pleru[m] in quam etiam inclinat Vasquez in 3. p. 10. diff. 19. cap. 4. num. 30. O. 31.

RESOL. CCXXVII.

An si Sacerdos loco illorum verborum: Hoc est corpus meum, dicat: Hic est corpus meum, validè cog- crare?

Et de aliis multis mutationibus verborum conser-vationis agitur. Ex part. 5. tractat. 14. & M[is]cell. 2. Refol. 77.

§. 1. **N**egatiu[m] respondet Layman lib. 5. tr. 4. cap. 3. n. 2. ubi sic ait. Si aliqua verborum forma usurpetur

Atque de SS. Euch. Sacr. Ref. CCXXVIII. 137

ysuperetur diversam significationem habens, non erit valida consecratio, v.g. Illud est corpus meum. Hic est corpus meum. Hic panis est corpus meum. Hoc est corpus Christi. Ita ille.

2. Sed affirmatiuam sententiam tenet Faustus de Euchar. lib. 1. que. 110. quia licet haec mutatio sit legibus Grammaticae contraria, tamen in communi modo loquendi retinet & sensum, & significationem, & idem dicendum est, si quis diceret, Hoc est corpus meum, & Hunc est corpus meum, aut Hoc est corpus meus, vel corpus meum. Hac enim mutatio est accidentalis, & in illa retinetur idem sensus, & significatio verborum, licet error committatur contra regulas grammaticales. Ita Faustus.

3. Verum ego circa praesentem questionem asserto cum Granado in 3.p.de Sacram.contr.6. tr. 8. dif. 5. num. 2. Fagundez pr. 3.lib. 1.ca. 6.n. 14. & aliis, quod si particula hoc, in consecratione mutetur in particularum hic, sumptam pro aduerbio, nulla erit consecratio, quia sensus est longe diversus, non enim significatur substantialis conuersio panis in Christum Dominum, sed eius solum in praesentia; si vero sumeretur pro masculino pronomine, perinde ac si diceretur, Hic cibus est corpus meum, mutatio est accidentalis, & non oblat veritati consecrationis, non igitur bene Layman absolutè assertur cum hac formula, Hic est corpus meum, non consecrari.

RESOL. CCXXVIII.

An si Sacerdos habeat intentionem consecrandi tantum panem & non vinum, remaneat adhuc panis consecratu?

Et infertur, quod si Sacerdos vellet consecrare, & non tamen efficer Sacrificium, ita ut voluntas non offerendi Sacrificium prauaderet & effet magis efficax, an tunc nihil prorsus efficeret?

Et curfin deditur, quod si Sacerdos prius consecravit calicem, quam Hostiam, factum tenet? Ex p. 10. tr. 16. & Milc. 6. Ref. 62.

§. I. Resolutio haec composita à me fuit occasione quarundam Conclusionum, de quibus statim, & fore nimis gratam Lectoribus spero. Dico igitur, quod in tali casu, Hostiam non remaneat consecrare, senent aliqui, quos tacito nomine citat Innocentius, & D. Thomas vbi infra: & hanc sententiam tanquam probabilem nouissime defensam fuisse in Sorbona Parisiensi die 10. Iulij 1646. patet in quibusdam Theisibus Theologis propagatis ab Armando Borbonio, Principe de Conty, & impremissis in principio Disputationis Antonij Ricardi, de libero Arbitrio editæ Parisi anno 1646. Sic enim in dictis Conclusionibus habetur: Tota essentia sacrificii Missæ consistit in consecratione vtriusque speciei: licet earum sumptio ad illius integritatem pertinere dicenda, nequaquam tamen verbalis oblationis, fractio, aut distributio Sacramenti. Ne cum dispensatione quidem Ecclesia potest vna species sine alia consecrari; immo probabilitate non caret, cum inuiditate tentaturum confidere Corpus Christi, qui id tentaret animo non conficiendi sanguinis; sicut & probable est non potuisse Apostolos in triduo mortis Christi consecrare. Sic ibi.

2. Probari potest haec opinio, Primo, quia nulla pars principiæ essentialis alicuius totius, potest habere rationem partis, nisi quando actualiter est in toto, constitutus illud simul cum altera parte; ergo cum vtrique species panis, & vini sint partes essentiales huius Sacramenti, ut dictum est, neutra potest sine altera consecrari: Antecedens patet, quia pars absolu-

ta, separata à toto, jam non est pars, sed totum quod ad dam per se. Et consequientia probatur, quia per consecrationem fit pars essentialis Eucharistie.

3. Secundò, in sacramento Extremæ Vnctionis sunt etiam diversæ formæ partiales, sicut in Eucharistia, nihilominus nulla coram seorsum habet effectum, usquequod ponatur ultima, & tunc omnes similitate morali causant; ergo similiter in Eucharistia formæ consecrationis panis non causat usque dum ponatur forma vini.

4. Et licet Cardinalis Lugo hanc sententiam ita absolute prolatam non admittat, tamen debito modo explicatam, vt ipse putat, docet non esse absurdam; sic itaque assit de Eucharist. disp. 19. set. 8. num. 103. Contraria sententia haec, si debito modo explicetur, provat ab eius Authoribus fortasse intelligebatur, non est absurdâ, sed vera. Suppono enim id quod communiter nostri Theologi supponunt, & docent, Christianum scilicet ita instituisse hoc Sacramentum, vt simul instituerit illud in ratione Sacrificij, nec voluerit fieri Sacramentum sine Sacrificio, nec Sacrificium sine Sacramento; nec Sacerdotibus dederit duas protestates disparatas, sed unicam, ad sacrificandum, & conferuandum; ita ut neque extra Sacrificium consecrare possent, neque absque consecratione possent Sacrificium offerre, vt probat cum aliis Suarez disp. 43. set. 3. §. dico, primo. Hinc autem sit, vt si Sacerdos veller consecrare, non tamen offerre Sacrificium, ita ut voluntas non offerendi Sacrificium præualeret, & effet magis efficax, tunc nihil prorsus efficeret: sicuti dici solet iuxta communem sententiam multorum de homine baptizato, qui vellat matrimonium contrahere, non tamen recipere Sacramentum; aut de eo qui vellat emittere professionem Religiosam, non tamen obligare se in perpetuum, & alias casibus similibus, in quibus dantur intentiones contrariae, & id est actio sit irrita, nisi secunda intentio sit minus efficax, vt explicimus supr. in tr. de Sacram. in comm. disp. 8. set. 8. Si ergo Christus voluit, haec duo esse connexa, nec posse separari consecrationē Sacramenti ab oblatione sacrificij, consequens est, vt qui vellat consecrare Eucharistiam, nullo tamen modo offerre Sacrificium, nihil faceret, quia vellat aliquid, ad quod non accepit potestatem à Christo. Vnde si consecratio vtriusque speciei sit de essentia huius Sacrificij, vt mox dicemus, & admitunt recentiores Theologi communiter, consequens est, vt qui vult consecrare hostiam solam, & non offerre Sacrificium, sed excludens oblationem Sacrificij, nihil faceret, quia non habet potestatem ad consecrandum, nisi per modum Sacrificij. De facto, tamen omnes Sacerdotes consecrantes, sive per errorem, sive ex industria, vnam speciem sine alia, validè consecrant; quia non excludunt omnino efficaciter intentionem sacrificandi, sed volunt consecrare meliori modo, quo possunt, atque ideo volunt, saltem implicere per consecrationem hostię, v.g. inchoare Sacrificium taliter, vt quantum est ex se, possit impleri per consecrationem Calicis, si apponatur: vnde iam habent tunc aliquam intentionem offerendi partialiter in consecratione Hostię. Cæterum si Sacerdos aduentens, non posse offerri Sacrificium absque consecratione vtriusque speciei, & prævidens non posse consecrati vtramque, veller consecrare vnam, excludens omnino intentionem offerendi etiam partialiter, vel inchoandi Sacrificium per illam consecrationem, per voluntatem omnino efficacem, modo explicato, tunc dicimus, quod non consecrare, quia voluntas consecrandi debet esse ad minus voluntas implicita offerendi partialiter seu inchoandi oblationem Sacrificij: & in hoc sensu predicta sententia vera esset. Hucusque Card. Lugo.

M 3 5. Sed